Annus XV - Vol. XV 1 Decembris 1923 Num. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Epistola Encyclica, p. 573; Litterae Apostolicae, p. 583.

Acta SS. Congregationum: *S. C. S. Officii:* Declaratio circa ieiunium eucharisticum, p. 585. - *S. C. Consistorialis:* I. Rigensis. Erectionis in archiepiscopatum, p. 585. II. Provisio Ecclesiarum, p. 587. III. Translatio sedis, p. 587. - *S. C. Concilii:* Conchen. Onerum canonicalium, p. 588. - *S. C. de Propaganda Fide:* I. Erectionis Collegii pro missionibus, p. 591. II. Nominationes, p. 591. - *S. C. Rituum:* Nivernen. seu Tarbien. et Lourden. Decretum super virtutibus ven. Servae Dei Sororis Mariae Bernardae Soubirous, p. 592. - *S. C. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus:* I. Erectionis Universitatis catholicae Noviomagensis, p. 596. II. Approbationes, p. 597.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazioni Ordinaria e Antipreparatorie. - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze. - Maggiordomato: Nomine. - Necrologio, pp. 598-608.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXIII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.
Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana. — Roma.

Pretium annuae subscriptionis.
Pro Italia, Lib. 18. — Extra Italiam, Frs. 24.
Unius fasciculi, Lib. 3 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XV, n. 12 - 1 Decembris 1923)

ACTA PII PP. XI

EPISTOLA ENCYCLICA

PAG.

Ecclesiam Dei. - Ad venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: in natali CCC s. Iosaphat martyris, archiepiscopi Polocensis ritus orientalis. - *12 novembris 1923* . . . 573

LITTERAE APOSTOLICAE

In Varsaviensis. - Titulus basilicae minoris confertur in ipsa consecratione ecclesiae curialis Sanio Cordi Iesu dicatae in suburbio Varsaviae. - *23 augusti 1923* . . . 583

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Declaratio circa dispensationem a lege ieiunii eucharistici ante Missam. - *16 novembris 1923* 585

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Bigensis.* - Erectionis in archiepiscopatum. - Decretum. - *25 octobris 1923* . 585

II. Provisiones Ecclesiarum 587

III. Translatio sedis 587

S. CONGREGATIO CONCILII

Conchen. - Onerum canonicalium. - *10 martii 1923* 588

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PAG.

I. Erigitur in urbe Taurinensi Collegium Internationale a Consolata pro missionibus exteris. - Decretum. - *10 iulii 1923* 591

II. Nominationes 591

S. CONGREGATIO RITUUM

Nivernen. seu Tarbien. et Lourden. - Decretum de virtutibus in causa beatificationis et canonizationis ven. Servae Dei Sororis Mariae Bernardae Soubirous, e Congregatione Sororum caritatis et institutionis christianae « de Nevers ». - *11 novembris 1923* 592

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

I. Universitas catholica in civitate Noviomagensi instituta confirmatur et Facultas theologica in eadem canonice erigitur. - Decretum. - *29 iunii 1923* 596

II. Approbationes 597

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 598

II. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Ordinaria* e *Antipreparatoria* . . . 598

III. Segreteria di Stato: *Nomine, onorificenze* 599

IV. Maggiordomato di Sua Santità: *Nomine* 602

V. Necrologio 604

Annus XV - Vol. XV 1 Decembris 1923 Num. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

EPISTOLA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: IN NATALI CCC SANCTI IOSAPHAT MARTYRIS, ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS RITUS ORIENTALIS.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ecclesiam Dei admirabili consilio sic constitutam, ut in plenitudine temporum esset immensae familiae instar, quae humani generis universitatem complecteretur, cum aliis insignitis notis, tum oecumenica unitate scimus divinitus esse conspicuam. Etenim Christus Dominus non modo quod ipse a Patre munus acceperat, solis Apostolis demandavit, cum dixit: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes;*[1] sed etiam Apostolorum summe unum voluit esse collegium, dupliciter coagmentatum arctissimo vinculo, intrinsecus quidem fide eadem et caritate, quae *diffusa est in cordibus ... per Spiritum sanctum;*[2] extrinsecus autem unius in omnes regimine, cum Apostolorum principatum Petro contulerit, tamquam perpetuo unitatis

[1] MATTH., XXVIII, 18, 19.

[2] *Rom.*, V, 5.

principio ac visibili fundamento. Hanc eis unitatem sub vitae mortalis exitum diligentissime commendavit;[1] hanc ipsam a Patre summis precibus petiit,[2] impetravitque, *exauditus pro sua reverentia.*[3]

Itaque coaluit crevitque Ecclesia in «unum corpus» et ipsum uno vivum vigensque spiritu: cuius quidem *est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis;*[4] sed eiusdem, ea ipsa de causa, aspectabile caput is est qui Christi vice fungitur in terris, Pontifex Romanus. In eum, ut successorem Petri, perpetuo cadit illa Christi vox: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,*[5] isque vicarium illud munus, Petro collatum, semper exercens, fratres suos confirmare, ubi opus fuerit, omnesque dominici gregis et agnos et oves pascere non desinit.

Iam vero nihil unquam tam hostiliter *inimicus homo*, quam Ecclesiae unitatem regiminis, quacum «unitas spiritus in vinculo pacis»[6] coniungeretur, appetiit; qui si nequaquam adversus Ecclesiam ipsam praevalere potuit, effecit tamen, ut filios non paucos atque etiam integros populos ab eius gremio complexuque distraheret. Quam ad rem vel nationum inter nationes certamina, vel alienae a religione ac pietate leges, vel fluxorum bonorum incensiora studia multum valuerunt.

Maxima autem atque omnium luctuosissima fuit Byzantinorum ab oecumenica unitate discessio; cui malo etsi Lugdunense Concilium ac Florentinum mederi visa sunt, tamen deinceps denuo illud erupit hodieque perseverat, magno scilicet cum animarum detrimento. Inde cernimus transversos actos esse pessumque ire cum alios tum Slavos Orientales, quamquam hi diutius quam ceteri in Ecclesiae matris sinu permanserunt. Constat enim eos cum hac Apostolica Sede aliquid rationis habere consuevisse, etiam post Michaëlis

[1] Ioann., XVII, 11, 21, 22.
[2] Ibid.
[3] *Hebr.*, V, 7.
[4] *Eph.*, IV, 4, 5, 15, 16.
[5] Matth., XVI, 18.
[6] *Eph.*, IV, 3.

Caerularii schisma, quam consuetudinem, incursionibus primum Tartarorum, tum Mongolorum intermissam, repetiisse deinceps ac retinuisse, dum potentium contumacia non sunt prohibiti.

Nec vero in hac causa Romani Pontifices quicquam praetermiserunt quod esset suarum partium; quorum nonnulli singulare studium curamque ad Slavorum Orientalium salutem contulerunt: ut Gregorius VII, qui principi Kioviensi « Demetrio regi « Russorum et reginae uxori eius » regnum auspicantibus, cum Romae ab eorum filio rogatus esset, amicissime omnia a Deo bona per litteras est precatus;[1] ut Honorius III, qui ad civitatem Novogorodensem legatos misit; quod etiam fecit Gregorius IX, itemque non multo post Innocentius IV, qui magni fortisque animi virum eo legavit, Ioannem de Plano Carpino, Franciscalis familiae ornamentum. Huius quidem decessorum Nostrorum diligentiae fructus exstitit anno MCCLV, cum concordiae et unitatis reconciliatio facta est, ob eamque celebrandam nomine et auctoritate Pontificis abbas Opizo, eiusdem legatus, insigne regium Danieli, Romani filio, solemnibus caeremoniis, imposuit. Itaque, secundum venerandam antiquiorum Slavorum Orientalium traditionem moremque, id etiam consecutum est, ut in Florentino Concilio Isidorus, metropolita Kioviensis et Moscoviensis idemque S. R. E. Cardinalis, suorum quoque popularium verbis, catholicam unitatem in fide Apostolicae Sedis professus sit sancte se inviolateque servaturum.

Mansit igitur Kioviae plures quidem annos redintegrata coniunctio; cuius dirimendae causas illae perturbationes auxerunt, quae consummatae sunt in rebus publicis, ineunte saeculo XVI; ea tamen anno MDXCV feliciter renovata est et, anno post, in conventu Brestensi promulgata, auctoribus et agentibus metropolita Kioviensi aliisque Ruthenorum Episcopis; quos quidem Clemens VIII amantissime excepit, editaque constitutione *Magnus Dominus* christifideles universos appellavit, ut Deo grates agerent, « qui semper cogitat cogitationes pacis, et vult omnes salvos fieri « et ad agnitionem veritatis venire ».

[1] *Ep.*, lib. 2, ep. 74, apud MIGNE, *Patr. lat.*, t. 148, col. 425.

Illa autem ut in perpetuum unitas consensioque consisteret, eam providentissimus Deus sanctitatis simul et martyrii tamquam signo consecravit. Quae tanta laus obtigit Archiepiscopo illi Polocensi, Iosaphat, ritus slavonici orientalis, quem iure praeclarum vel decus vel columen Slavorum Orientalium agnoscimus; siquidem vix aliquis alius magis eorum nomen illustravit, aut melius saluti consuluit, quam hic ipsorum et Pastor et Apostolus, praesertim cum sanguinem suum pro Ecclesiae sanctae unitate profudit. Cuius praeclarissimi martyrii natalis cum adsit trecentesimus, admodum Nobis placet tanti viri memoriam renovare, quo maioribus bonorum precibus Dominus exoratus « excitet in Ecclesia sua spiritum, « quo repletus beatus Iosaphat, Martyr et Pontifex ... animam suam « pro ovibus posuit »; [1] auctoque in vulgus unitatis promovendae studio, continuetur quod ipse urgebat, opus, usque dum promissum illud Christi idemque sanctorum omnium optatum eveniat: *et fiet unum ovile et unus Pastor.* [2]

Hic parentibus quidem ab unitate dissitis ortus est, at sancte ablutus, accepto Ioannis nomine, a teneris unguiculis pietatem coluit; cumque splendorem sequeretur liturgiae Slavonicae, veritatem ante omnia Deique gloriam quaesivit, ob eamque rem, nullis humanis impulsus rationibus, ad communionem Ecclesiae unius oecumenicae seu catholicae se puerulus applicavit; ad cuius quidem communionem se destinatum ipso rite suscepto baptismate iudicabat. Quin etiam, caelesti quodam instinctu se moveri sentiens ad sanctam universaliter redintegrandam unitatem, plurimum eo sese conferre posse intellexit, si ritum orientalem Slavonicum et Basilianum vitae monasticae institutum in Ecclesiae universalis unitate retineret. Quare anno MDCIV inter monachos sancti Basilii alumnos cooptatus, depositoque Ioannis nomine appellatus Iosaphat, omnium exercitationi virtutum se totum dedit, pietatis maxime et austeritatis. Quem enim Crucis amorem a prima aetatula, Iesum Crucifixum contemplando, conceperat, eum perpetuo deinceps ostendit prorsus singularem.

[1] In officio S. Iosaphat.

[2] IOANN., X, 16.

Testis autem est metropolita Kioviensis Iosephus Velamin Rutsky qui eidem monasterio archimandrita praefuerat, « in vita mo- « nastica eum brevi tempore ita profecisse ut aliorum magister « esse posset ». Itaque ubi sacerdotio auctus est, archimandrita ipse Iosaphat renuntiatur et monasterio praeficitur. Is in huius administratione muneris, non modo monasterium continensque templum sarta tecta tueri, eaque contra inimicorum impetus communire studuit, verum etiam, quia deserta fere a fidelibus erant, idcirco instituit dare operam, ut eadem christianus populus iterum celebraret. Interea vero, in primis de suorum civium cum Petri cathedra coniunctione sollicitus, quaecumque ad eam qua promovendam qua confirmandam argumenta suppeterent, undique conquirebat, praesertim libros liturgicos pervolutando, quibus Orientales ipsique dissidentes secundum sanctorum Patrum praescripta uti consuevissent.

Hac igitur tam diligenti praeparatione adhibita, unitatis instaurandae negotium coepit tanta simul cum vi et suavitate tantoque cum fructu agere, ut ab ipsis adversariis « raptor animarum » nuncuparetur. Etenim mirabile est, quam multos ad unicum ovile Iesu Christi perduxerit, eosque ex omni ordine ac genere, plebeios, mercatores, equites, praefectos quoque et administratores provinciarum, ut de Polocensi Sokolinski, de Novogrodecensi Tyszkievicz, de Smolenscensi Mieleczko accepimus. Sed vel multo latiorem in campum produxit apostolatum suum, ex quo Ecclesiae Polocensi datus est antistes. Cuius quidem apostolatus incredibilem sane oportet fuisse vim, cum exempla exhiberet vitae castissimae, pauperrimae, abstinentissimae, tantae autem erga indigentes liberalitatis, ut ad eorum inopiam sublevandam hic *omophorion* oppignerarit; cum intra religionis fines admodum se contineret, nec quicquam de rebus politicis attingeret, quamvis non semel nec parum idem sollicitatus esset ad curas contentionesque civiles obeundas; cum denique praeclaro studio niteretur sanctissimi Episcopi, qui verbis scriptisque finem non faciebat inculcandae veritatis. Plura enim ad popularium ingenium a se accommodatissime composita in lucem edidit, ut de primatu s. Petri, de baptismate s. Vladimiri, ut

defensionem unitatis catholicae, catechismum ad rationem beati Petri Canisii exactum, et id genus alia. Cum autem multus esset in utroque clero ad officii diligentiam exhortando, sensim, excitato ministerii sacerdotalis ardore, perfecit, ut populus, rite in doctrina christiana institutus, aptaque divini verbi praedicatione nutritus, sacramenta sacramque liturgiam frequentare assuesceret, atque ad vivendi disciplinam usque sanctiorem renovaretur. Ita longe lateque Dei spiritu diffuso, Iosaphat unitatis opus, cui se devoverat, magnifice confirmavit. At vero tum maxime confirmavit illud atque adeo consecravit, cum pro eodem martyr occubuit, et quidem voluntate summa, magnanimitate mirabili. Martyrium in mente semper, in ore frequenter habebat; martyrium sibi celebri in concione optavit; martyrium denique, tamquam singulare Dei beneficium, implorabat; ut paucis ante mortem diebus, ubi de paratis sibi insidiis est admonitus, « Domine, inquit, da mihi ut sanguinem pro « unitate et oboedientia Sedis Apostolicae profundere valeam ». – Voti factus est compos die dominico XII Novembris a. MDCXXIII, cum circumsistentibus hostibus, qui unitatis Apostolum petebant, obviam se hilaris et comis obtulit, precatusque, ad Magistri Dominique sui similitudinem, ne suos domesticos laederent, se ipsum in eorum manus tradidit; cumque vulneribus crudelissime conficeretur, non cessavit ad extremum spiritum rogare Deum, ut suis percussoribus ignosceret.

Huius tam incliti martyrii magna fuere emolumenta: praesertim multum firmamenti ac roboris accessit Episcopis Ruthenis, qui duobus mensibus post, missis ad sacrum Consilium Fidei propagandae litteris, ita professi sunt « vitam nostram cum sanguine, « prout iam unus ex nobis profudit, pro fide catholica profundere « paratissimos nos offerimus ». Ingens etiam hominum numerus, in quibus ipsi Martyris interfectores, in sinum unius Ecclesiae se subinde receperunt.

Sanguis igitur sancti Iosaphat, quemadmodum abhinc tribus saeculis, ita nunc maxime, pignus pacis atque unitatis sigillum exstat; nunc, inquimus, cum tanta fraterna caede miserrimas Slavorum provincias, turbulentissimis motibus perturbatas, effe-

ratorum bellorum furor cruentavit. Hunc enim sanguinem exaudire veluti videmur *melius loquentem quam Abel*, [1] Slavosque fratres compellantem, ut quondam, Christi Iesu verbis: *Oves sine pastore iacent. Misereor super turbam.* Et vere, quam miserabili condicione ii premuntur! in quantis rerum omnium angustiis versantur! quot patria extorres! quae corporum strages! quae pernicies animorum! Equidem haec Slavorum tempora contemplantes, multo sane deteriora quam quae noster deplorabat, vix pro paterna animi caritate continere lacrimas possumus.

Nos quidem, ut tantam miseriarum molem levaremus, opem calamitosis ultro afferre studuimus, nihil humani spectantes, nulloque inter indigentes facto discrimine, dumtaxat egentissimo cuique praesentissime opitulantes. Verum haud par fuit tantae necessitati Nostra facultas. Nec vero prohibere potuimus quin, quavis religione contempta, contra veritatem ac virtutem indignitates increbrescerent, atque adeo, nonnullis in locis, ad carcerem, ad necem usque christiani homines atque ipsi sacerdotes et sacrorum antistites quaererentur.

Haec Nobis mala intuentibus, id haud mediocri est solacio, quod praeclarissimi Slavorum Antistitis commemoratio solemnis occasionem praebet sane opportunam ad paternum animum, quem erga Slavos omnes Orientales gerimus, declarandum, iisdemque proponendam bonorum omnium summam, quae in Ecclesiae sanctae oecumenica unitate consistit.

Ad quam unitatem cum dissidentes impense cohortamur, tum christifideles universos, Iosaphat auctore et magistro, contendere cupimus, ut pro viribus suam quisque Nobis operam studiumque navent. Hi porro intelligant non tam disputationibus aut incitamentis aliis, quam sanctae vitae exemplis officiisque hanc esse unitatem promovendam, in primis vero caritate erga Slavos fratres ceterosque Orientales, secundum illud Apostoli: *Eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate*

[1] *Hebr.*, XII, 24.

superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum. [1]

Qua in re, quemadmodum Orientales dissidentes oportet ut, antiquis praeiudicatis opinionibus depositis, veram Ecclesiae vitam cognoscere studeant, neque in Ecclesiam Romanam privatorum culpas conferant, quas ipsa quidem et damnat et emendare connititur; sic Latini homines uberius altiusque res moresque cognoscant Orientalium, ex quorum intima cognitione tam multum efficacitatis in sancti Iosaphat operam redundavit.

Hisce rationibus permoti, Nos Institutum Pontificium Orientale, a decessore Nostro desideratissimo, Benedicto XV, conditum, novis studiis fovendum curavimus; illud persuasum habentes, ex recta rerum cognitione aequam hominum existimationem itemque sinceram benevolentiam efflorescere, quae, Christi caritate coniuncta, religiosae unitati quam maxime est, Dei munere, profutura.

Hac enimvero caritate afflati, sentient omnes quod divinitus docet Apostolus: *Non enim est distinctio Iudaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* [2] Praeterea, quod maius est, eidem Apostolo praecipienti religiose obsecuti, non praeiudicatas tantum opiniones, sed etiam inanes suspiciones, simultates, odia, denique omnes a christiana caritate aversos animorum motus, quibus inter se nationes dividuntur, exuent atque deponent. Sic enim idem Paulus: *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum: ubi non est Gentilis et Iudaeus ... Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* [3]

Ita hac et singulorum hominum et populorum conciliatione perfecta, coniunctio simul perficietur Ecclesiae, in eiusdem sinum redeuntibus omnibus, quotquot, quavis de causa, sint ab ea seiuncti. Quae coniunctionis perfectio non humano quidem con-

[1] *Phil.*, II, 2-4.
[2] *Rom.*, X, 12.
[3] *Coloss.*, III, 9-11.

silio fiet, sed unius bonitate Dei, qui *non est personarum acceptor*,[1] quique *nihil discrevit inter nos et illos:*[2] fiet autem, ut omnes aequo iure utantur coniuncti populi, cuiusvis sint generis aut linguae, quorumvis rituum sacrorum, quos Romana Ecclesia et sanctissime semper venerata retinuit, semperque decrevit retinendos, iisdem se tamquam pretiosis vestibus exornans, quasi *regina ... in vestitu deaurato, circumdata varietate.*[3]

Quoniam vero haec populorum omnium in oecumenica unitate consensio, ut opus in primis Dei, divinis est auxiliis praesidiisque comparanda, piis sedulo insistamus precibus, exempla ac documenta sequentes sancti ipsius Iosaphat, qui orationis potissimum virtute fretus pro unitate elaborabat.

Eodemque auctore et duce, augustum maxime Eucharistiae Sacramentum percolamus, pignus causamque praecipuam unitatis, mysterium illud fidei, cuius amorem studiosamque consuetudinem quotquot Slavi Orientales in ipso a Romana Ecclesia discessu conservarunt, iidem graviorum haeresum impietatem defugerunt. Ex quo tandem sperare licebit, quod Ecclesia mater pie fidenterque precatur in mysteriis iisdem celebrandis, ut Deus *unitatis et pacis propitius dona concedat, quae sub oblatis muneribus mystice designantur;*[4] quod ipsum coniunctis precibus utrique, inter sacrificandum, orant Latini et Orientales: hi « pro unitate omnium Dominum invocantes », illi eidem Christo Domino supplicantes ut « respiciens fidem Ecclesiae suae, eandem secundum voluntatem suam pacificare et coadunare dignetur ».

Alterum unitatis reconciliandae vinculum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propiores. In quo quidem Iosaphat cum magnopere praestabat, tum ad unitatem persuadendam plurimum confidebat: quare icunculam, ut mos est Orientalium, peculia-

[1] *Act.*, X, 34.
[2] Ibid., XIV, 9.
[3] *Psalm. XLIV*, 10.
[4] Secreta Missae in solemnitate Corporis Christi.

riter venerari solitus erat Deiparae Virginis, quae a monachis Basilianis et in ipsa Urbe, ad sanctorum Sergii et Bacchi, a christifidelibus cuiuslibet ritus religiosissime colitur, ut *Regina pascuorum*. Eam igitur benignissimam Matrem praesertim hoc titulo invocemus, ut dissidentes fratres ad salutaria pascua deducat, ubi Petrus, in successoribus suis nunquam deficiens, Pastoris aeterni vicarius, christiani gregis et agnos et oves pascit universos ac moderatur.

Postremo, Caelites omnes in re tanta adhibeamus advocatos, eos maxime qui apud Orientales olim sanctitatis sapientiaeque opinione floruerunt, hodieque magna populorum florent veneratione et cultu. Sed primum omnium deprecatorem appellemus Iosaphat, qui unitatis causam ut fortissime propugnavit, dum vixit, ita nunc foveat apud Deum ac validissime tueatur. — Quem quidem Nos his decessoris Nostri immortalis memoriae Pii IX obsecramus supplicibus verbis: « Utinam, sancte Iosaphat, tuus ille cruor, quem pro Christi Ecclesia effudisti, sit illius unionis pignus cum sancta hac Apostolica Sede, quam semper in votis habuisti, quamque diu noctuque enixis precibus a Deo Optimo Maximo expostulasti. Quod ut tandem aliquando eveniat, apud ipsum Deum caelestemque Aulam Te deprecatorem assiduum exoptamus ».

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis, venerabiles fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XII mensis novembris, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

TITULUS BASILICAE MINORIS CONFERTUR IN IPSA CONSECRATIONE ECCLESIAE CURIALI SS.MO CORDI IESU DICATAE IN SUBURBIO VARSAVIAE.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — In Varsaviensis civitatis suburbio Pragensi nova ecclesia Sacratissimo Cordi Iesu dicata, amplitudine atque artis documentis conspicua, quam Nos Ipsi, quum apud Polonum Gubernium, legaticio munere, Apostolicae Sedis vices gereremus, iam inchoatam invisimus, propediem sollemni ritu est consecranda. Pia vero matrona, e nobilissima Radzivillia gente, quae stipem in exstruendum perficiendumque templum istud praecipue dedit, nec non curio et christifideles novae paroeciae, quae in eodem templo condita est, enixas ad Nos, Nuntii quoque Nostri Apostolici suffragio suffultas, preces admoverunt, ut ecclesiae ipsi dignitatem, titulum ac privilegia Basilicae minoris, pro Nostra benignitate impertiri dignaremur. Nos autem cum, Decessorum Nostrorum insistentes vestigiis, quae in orbe catholico templa dignitate vel artis monumentis excellere videantur, ea peculiaribus honoris titulis privilegiisque locupletare consueverimus, ut continentium etiam regionum populares eadem et reverentia colant et animorum ardore, quo maiore fieri potest, Deum precaturi invisant, huiusmodi optatis adnuendum existimavimus. Idque eo libentius facimus, diei occasionem nacti consecrationis dedicationisque ecclesiae eiusdem, quia optime novimus novam eandem sacram aedem, quo est mirabili artificio et secundum antiquae structurae genus ad instar Urbis basilicarum condita, perspicuum vere locum obtinere inter sacra aedificia, quae Varsaviensem civitatem nobilitant atque insigne tum piissimae matronae, quam laudavimus, cum populi poloni studium religionis amplissime testari. Qua re, conlatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum praepositis, motu proprio ac de certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, enunciatam paroecialem ecclesiam, Sacratissimo Cordi Iesu dicatam in Pragensi suburbio civitatis atque archidioecesis Varsaviensis, dignitate ac titulo Basilicae minoris honestamus, cum omnibus ac singulis honoribus, privilegiis, praerogativis, indultis, quae aliis minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus iugiter sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus quibuslibet contrariis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis augusti, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECLARATIO

CIRCA DISPENSATIONEM A LEGE IEIUNII EUCHARISTICI ANTE MISSAM

Supremae Congregationi Sancti Officii propositum fuit quaesitum: « An Sacerdotes dispensati a ieiunio eucharistico ante secundam Missam, « sumere possint ablutionem in prima ».

Et Sacra Congregatio, feria IV, die 2 maii 1923, respondendum mandavit: *Affirmative.*

Insequenti vero feria V, die 3, dicti mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, resolutionem Emorum Patrum approbavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 16 novembris 1923.

Aloisius Castellano,
Supremae S. C. S. Officii Notarius.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

RIGENSIS

ERECTIONIS IN ARCHIEPISCOPATUM

DECRETUM

Quum dioecesis Rigensis, anno 1918 restituta, iam inde a seculo XII titulo archiepiscopali condecorata fuerit, Ssmus D. N. Pius PP. XI, pristinam honoris praerogativam in gratiam et favorem perantiquae Ecclesiae instaurare cupiens, eandem ad gradum sedis archiepiscopalis evehendam decrevit.

Quapropter, Apostolicae auctoritatis plenitudine, statuit ut memorata Ecclesia Rigensis, suppresso titulo episcopali, nomen archiepiscopale assumat, absque suffraganeis; eaque, ut hactenus, Apostolicae Sedi immediate subiecta remaneat, atque omnibus iuribus, insignibus ac honoribus fruatur, quibus ceterae archiepiscopales sedes gaudere solent.

Mandat praeterea Sanctitas Sua, ut ecclesia Sancti Iacobi, nuperrime catholico cultui iterum reddita, ad dignitatem archiepiscopalem extollatur, iis aucta praerogativis quae aliis ecclesiis archiepiscopalibus iure competunt. Insimul R. P. D. Antonius Springovicz, qui modo ecclesiam Rigensem uti Episcopus regit, posthac archiepiscopali titulo, dignitate, iuribus et privilegiis potiatur, una cum facultate deferendi Crucem archiepiscopalem et sacrum pallium, postquam illud, iuxta morem, expostulatum et obtentum fuerit.

Fines autem huius archidioecesis Rigensis iidem profecto erunt ac ipsam dioecesim hucusque praefinierunt; reservata tamen facultate Apostolicae Sedi novam archidioecesis circumscriptionem, si id expedire videatur, constituendi.

Quibus super rebus eadem Sanctitas Sua praesens edi iussit Consistoriale decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda, Ssmus Dominus Noster deputare dignatus est R. P. D. Antoninum Zecchini, Archiepiscopum titularem Myrensem ac Delegatum Apostolicum in *Lituania*, *Lettonia* et *Estonia*, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, cum onere transmittendi ad S. C. Consistorialem, intra sex menses, authenticum exemplar peractae exsecutionis. Contrariis quibusvis minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die XXV mensis octobris anni MDCCCCXXIII.

✠ C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Fr. Raphaël C. Episc. Volaterran., *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

15 septembris 1923. — Cathedrali Ecclesiae Anglonensi-Tursiensi praefecit R. D. Ludovicum Cattaneo, ex archidioecesi Mediolanensi.

31 octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Platensi in Bolivia, R. P. D. Aloisium Franciscum Pierini, O. F. M., hactenus Episcopum Cochabambensem.

9 novembris — Cathedrali Ecclesiae Anagninae, R. D. Aloisium Mazzini, praepositum parochum loci vulgo *San Lorenzo della Costa*, dioecesis Clavarensis.

10 novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Olomucensi, R. D. Leopoldum Prečan, Antistitem Urbanum, hactenus eiusdem Ecclesiae Vicarium Capitularem.

— Cathedrali Ecclesiae Campifontensi in *Illinois*, hactenus Altonensi, R. D. Iacobum A. Griffin, parochum S. Mariae loci *Joliet*, dioecesis Chicagiensis.

13 novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Athribitensi, R. D. Michaëlem Buchberger, Protonotarium Apostolicum *ad instar*, quem constituit Auxiliarem Emi P. D. Michaëlis Card. De Faulhaber, Archiepiscopi Monacensis et Frisingensis.

15 novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Popayanensi, R. P. D. Maximilianum Crespo, hactenus Episcopum Sanctae Rosae de Osos.

III

TRANSLATIO SEDIS

Decreto huius Sacrae Congregationis Consistorialis de die 26 octobris 1923, Ssmus Dominus Noster Pius PP. XI sedem dioecesis Altonensis transtulit in urbem vulgo *Springfield*, Status de Illinois principem, ac decrevit ut eiusdem dioecesis Ordinarius exinde denominetur Episcopus Campifontensis in *Illinois*.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

CONCHEN.

ONERUM CANONICALIUM

FACTI SPECIES. — Canonici de officio ecclesiae cathedralis Conchensis, nempe Doctoralis, Poenitentiarius, Magistralis et Theologus, mense martio 1921 exponebant Commissioni a Codice iuris canonici interpretando, praeter onera a iure imposita suis praebendis alia addita fuisse ab Episcopo et Capitulo vi Concordati, et quidem in ipsa schedula convocatoria concursus (vulgo *Edicto*): nempe canonico Doctorali onus praedicandi quatuor sermones de tabella in ecclesia cathedrali et insuper canones et institutiones canonicas quotidie in Seminario legendi; Poenitentiario onus quatuor sermones item habendi in cathedrali et legendi in Seminario theologiam moralem; Magistrali onus legendi theologiam dogmaticam; Theologo onus quater concionandi in ecclesia cathedrali. Satisfactio vero horum onerum, subdebant, est omnino gratuita et, praeter laborem, non paucas secumfert expensas in libris, periodicis, etc.

Iamvero canonici supra dicti existimant talia onera sese opponere praescriptis Codicis iuris canonici, videlicet canoni 1440 praescribenti *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur;* canoni 421 deneganti distributiones chorales illis *qui de licentia Ordinarii in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum docent.*

Quod autem attinet ad conciones iidem canonici putant huiusmodi obligationem non posse addi canonicis, ad sensum canonis 1328, cui concinunt Regulae datae a Sacra Congregatione Consistoriali die 28 iunii 1917, cap. II, n. 14–17.

Hisce innixi rationibus canonici dictis oneribus gravati a Pontificia Commissione interprete Codicis I. C. expetebant solutionem dubiorum quae sequuntur:

1. *Utrum post Codicem iuris canonici sustineri possint onera in schedula convocatoria canonicis de officio imposita, in casu?*

Et, quatenus *affirmative.*

2. *Utrum haec onera debeant a praedictis canonicis impleri, non solum absque ulla retributione, sed etiam non modicis ex proprio peculio sumptibus, in casu?*

3. *Utrum canonicus Theologus et Poenitentiarius ex canonis 416 praescripto eximantur a ministerio diaconi et subdiaconi in altaris servitio etiam in Missis Pontificalibus.*

Pontificia vero Commissio Codicis iuris canonici interpres eorumdem canonicorum petitionem ad hanc Sacram Congregationem remisit.

VOTUM CONSULTORIS. — Ad 1^{um} quod attinet, onera imposita canonicis de officio sustinenda videntur. – Iam in via praeiudiciali observari potest dispositionem canonicam praecipientem ecclesiastica beneficia sine diminutione conferri (can. 1440), non esse novam, sed a veteri iure desumptam fuisse; ubi in III Decretalium titulus XII erat inscriptus: *Ut ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur.* Si igitur impositio talium onerum stare poterat in iure veteri, stare etiam potest in iure novo.

Sed ut propius accedamus ad propositum dubium, referre heic praestat verba R. Decreti concordati sub die 21 martii 1851 et alius sub die 6 decembris 1888 (cf. Ferreres, *Instit. Can.*, tit. III, n. 694): « Ordinarii, « audito Capitulo, et attenta necessitate et utilitate ecclesiae, designa- « bunt munus quod singulis canonicatibus aut beneficiatibus per opposi- « tionem providendis imponendum sit ». Quod R. Concordatum Decretum Codex in suo vigore relinquit, velut si Codex ipse promulgatus non esset. can. 3: « Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus « conventiones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant; ea idcirco « vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus ». Et ratio ea esse videtur, quia huiusmodi leges particulares legis simul ecclesiasticae et civilis rationem habent, quum originem traxerint ex conventione inter utramque potestatem. – Stat igitur ex dictis onerum impositio, non obstante praescripto canonis 1440.

Exinde iam patet eam impositionem non adversari vigenti Hispaniae disciplinae, ex Concordato inductae, nec canoni 421. Differentia inter disciplinam illic vigentem et canonem 421, 1°, in hoc est quod per illam Capitularis teneatur docere vi muneris a competenti auctoritate impositi, ad instar muneris canonici Theologi; hic vi obedientiae Ordinario debitae. Sed nil inde conficitur favore recurrentium.

Nec obstat canon 1328: « Nemini ministerium praedicationis licet exer- « cere nisi a legitimo Superiore missionem receperit, facultate peculiariter « data, vel officio collato, cui ex sacris canonibus praedicandi munus in- « haereat »; isti enim canonici *facultate peculiariter ipsis data*, h. e. collatione beneficii, id munus adnexum per peculiarem legem habentis, tenentur aliquos habere sermones, etc.; et aliunde notum est: « Legibus conditis pro « aliquo territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt » (can. 13, § 2).

Ad 2um dubium quod spectat, canonici neque ius ad retributionem habent neque ad indemnitatem expensarum pro libris acquirendis, etc., ceu resolvit S. C. C., 22 apr. 1882 et 17 iulii eiusdem anni. Ratio ea videtur esse, quia canonici eo ipso quod se praesentant ad concursum – in cuius indictione seu *Edicto* leguntur onera specialia persolvenda – spe moti hos canonicatus consequendi, et beneficialibus muneribus gravatos acceptant, obligationem contrahunt munera explendi, et quidem explendi sine iure ad retributionem et ad indemnitatem supra dictas. Verum, id stricto iure inspecto; nihil tamen vetat quominus, titulo refectionis expensarum, vel aliquid ipsis tribuatur, vel alio modo iisdem provideatur, sicut Episcopus in casu iam se fecisse refert.

Modo de 3o dubio. Canon 416 sic se habet: « In statutis capitularibus « iusta designetur norma ad quam canonici et beneficiarii in servitio « altaris fungantur per turnum tum officio celebrantis tum ministerio « diaconi ac subdiaconi, exclusis tamen ab hoc ministerio dignitatibus, « canonico theologo, poenitentiario et, si praebendae distinctae habeantur, « canonicis ordinis presbyteralis ». Ex ipsa enunciatione canonis iam patet heic agi de turno ordinario in servitio altaris in quo locum habent vel soli beneficiarii vel soli canonici, vel canonici uti celebrantes et beneficiarii ministerio diaconi et subdiaconi fungentes. In hoc turno quidem excludi valent a ministerio diaconi et subdiaconi etiam canonici theologus et poenitentiarius; sed aliter se res habet in Missis Pontificalibus, ceu declaravit Sacra Congregatio Concilii die 14 febr. 1920 in causa *Boianen.*, Servitii choralis (*A. A. S.*, XII, 117).

Quare, etc.

Resolutio. — Die 10 martii, in plenariis comitiis in Palatio Apostolico Vaticano habitis, Emi Patres Sacrae Congregationis Concilii respondendum propositis dubiis censuere:

Ad 1um *Affirmative.*

Ad 2um *Affirmative.*

Ad 3um Detur resolutio in *Boianen.* diei 14 februarii 1920.

Factaque postmodum de praemissis relatione SSmo Domino Nostro Pio div. Prov. PP. XI per infrascriptum Sacrae Congregationis Subsecretarium, Sanctitas Sua datas resolutiones approbare dignata est.

I. Bruno, *Subsecretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

ERIGITUR IN URBE TAURINENSI COLLEGIUM INTERNATIONALE A CONSOLATA PRO MISSIONIBUS EXTERIS.

DECRETUM

Ad christianum nomen inter gentes latius propagandum, haec Sacra Congregatio plura clericorum Collegia erigenda curavit, in quibus adolescentes, praeclaris animi dotibus praediti atque superne vocati, sacris disciplinis mature erudirentur ut missionale munus opportuno tempore rite assumere atque exercere possent. Cum vero divini Evangelii praeconum necessitas haud inde cessaverit, immo nostris temporibus magis creverit, haec eadem Sacra Congregatio novum pro missionibus Collegium erigere volens ac merita Instituti quod a *Consolata* nomen habet, atque iam a multis annis in missionale opus incumbit, probe agnoscens, eiusdem Instituti domum principem in urbe Augusta Taurinorum in Collegium pro Missionibus hoc decreto erigit atque « Collegium internationale a Con- « solata pro missionibus exteris » nominandum, idemque omnibus iuribus privilegiisque similibus Collegiis iam concessis ornandum decernit.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 10 iulii 1923.

Pro E.mo D.no Card. Praefecto

† F. Marchetti Selvaggiani, Archiep. Seleucien., *Secretarius.*

L. ✠ S. C. Pecorari, *Subsecretarius.*

II

NOMINATIONES

Sacra Congregatio de Propaganda Fide, successivis decretis, ad suum beneplacitum renunciavit:

16 augusti 1923. — R. D. Ioannem Gulielmum Campling, e Societate Missionariorum S. Iosephi de Mill-Hill, *Praefectum Apostolicum de Buea.*

— R. D. Danielem Kauczor, e Congregatione Missionariorum Filiorum Ssmi Cordis Iesu nationis germanicae, *Praefectum Apostolicum de Lydenburg.*

9 novembris. — R. P. Aemilium Larquère, hactenus Praefectum Apostolicum de Arauca, *Praefectum Apostolicum de Tierradentro.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

NIVERNEN. seu TARBIEN. et LOURDEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI SORORIS MARIAE BERNARDAE SOUBIROUS, E CONGREGATIONE SORORUM CARITATIS ET INSTITUTIONIS CHRISTIANAE « DE NEVERS ».

Super Dubio

An constet de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?

Qui per integram discurrerit venerabilis Famulae Dei sororis Mariae Bernardae Soubirous aetatem, quae brevi potius quinque supra triginta annorum conclusa fuit spatio; quique praefatae Ancillae Dei vivendi agendique rationem ex ordine accurateque persequi studuerit, facere id ipse nequivit, quin una simul cum christianarum virtutum actibus, in quasdam etiam offenderet quandoque imperfectiones seu defectus. Quapropter, ut super quaestione disceptationi subiecta rectum ille ferre posset iudicium, duo haec expendenda et solvenda sibi esse statim persensit: unum videlicet, utrum ab exercitis virtutibus iusta atque legitima de ipsarum virtutum heroicitate exsurgeret probatio; alterum vero, num probatio ista aliquid caperet detrimenti ex imperfectionibus, seu defectibus, quorum facta fuit mentio.

Equidem, rem paullo altius repetenti, puellula se sistit humili loco in montibus orta, humilesque sortita parentes, pietate quidem praeditos, sed brevi experiri coactos paupertatis incommoda, quorum, sicut valde proclive est intelligere, particeps facta est filiola, quae idcirco non satis firma inde a teneris uti coepit valetudine. Nihilominus, vix per aetatem licuit, famulatum agere gregique pascendo incumbere non erubuit, ut, quoad eius fieri posset, rei familiaris prospiceret caritati suisque praesertim subsidio esset parentibus. Ita medios inter agrestis vitae labores praesto non fuit adolescentulae potestas expoliendi quod rude potius, monticula quum esset, nacta fuerat ingenium. Verum, quamvis ulla nondum humana exculta esset disciplina, mirum tamen in modum cunctis

proficiebat in domesticis virtutibus suisque praeibat aequalibus incenso pietatis studio, quo christianam catechesim mature addiscere satagebat, orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum aliasque preces. Pulchrum sane erat atque iucundum eam invisere adspectu aut verbis alloqui; e vultu namque, e dictis universoque ex incessu ingenuus ille spirabat animi candor, e simplicitate promanans atque morum innocentia, totusque, tamquam fundamento, innixus humilitati. Unde Deus, qui *infirma mundi eligit, ut confundat fortia* (I *Cor.*, 1, 27), puellulam istam inopem, absconditam et mundo ignotam, veluti omnipotentiae suae instrumentum selegit, ut apud Lapurdum, prope specum *Massabielle*, insigne operaretur portentum, quod medietatem undevigesimi superioris saeculi magnopere nobilitavit reddiditque celebrem.

Quae adolescentula esset, ad quam huc usque sermo respexit, ex adolescentulae ipsius nuper adumbrata corporis animique imagine satis dignoscitur, atque sponte menti succurrit Bernadette vulgo pernotum nomen. Bernadette siquidem divinae Bonitatis concessum est privilegium, ut, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo octavo, Beatae Mariae Virginis ingeminatis recrearetur apparitionibus; quo ex facto, catholico dogmati de eiusdem Beatae Mariae Virginis immaculato conceptu, quatuor ante annos a sa. me. Pio Papa IX definito et promulgato, confirmatio accessit. A prima enim februarii die anni millesimi octingentesimi quinquagesimi octavi ad diem vigesimam sextam subsequentis iulii anni eiusdem, variae identidem repetitae sunt apparitiones, in quibus Beata Virgo Maria Bernadette pluries se conspiciendam obtulit, saepius et benignissime eam est allocuta, eam pro peccatoribus orare, terram deosculari, poenitentiam agere est hortata; eique, ut sacerdotibus ediceret aedificandum ibi esse sacellum, solemnisque supplicationis more illo accedendum, imperavit. Mandavit insuper ut e fonte, qui sub arena adhuc latebat, sed mox erat erupturus, aquam biberet eaque se abstergeret. Aliisque interim omissis, quod silentio tamen minime est praetereundum, percontanti enixe Bernadette illius nomen, cuius aspectu toties dignata fuerat, Beata Virgo Maria, admotis pectori manibus elatisque in caelum oculis, respondit: *Immaculata Conceptio ego sum.* Accidit namque hoc vigesima quinta mensis martii die, quae sacra quum esset Beatae Mariae Virginis Annuntiationis festo, quumque eodem in festo de Incarnationis agatur mysterio, quam arctus sit nexus inter Dei Genitricem atque Immaculatam eiusdem Conceptionem, ipsa scite non minus quam diserte admonet dies.

Paucis vero facile non est omnia complecti, quae perferenda Bernadette fuerunt, ut supernaturalium apparitionum tueretur veritatem. Quae sane, post iuridicam factorum inquisitionem, a Tarbiensi Episcopo primum pro-

bata, et, clarioribus mox subsequentibus signis, firmata magis atque illustrata, quod secum ferre debebat, tulit reapse; ut nimirum nomen et historia Lapurdensis Sanctuarii nomen quoque et memoriam Bernadette, quodam veluti foedere, coniuncta referrent atque sociata. Permagnae exinde Bernadette obnoxiam fieri tentationi gravissimoque ipsius virtutes obiectari discrimini, easque inter paupertatem potissimum et humilitatem, plane quisque intelligit; sed, quavis posita dubitatione, eam suspicere et admirari cogitur statim atque rescire sibi datur, totam in eo fuisse Bernadette, ut adventantium Lapurdum, qui eam de visu nosse, visitatum adire, donariis afficere certabant, se eriperet curiositati hominumque laudes fugeret atque plausus. Hoc immo praenobili consilio ducta, in Hospitium, quod eodem in loco benemerentissimae a caritate et institutione christiana Sorores *de Nevers* nuncupatae aperuerant, ceu discipula et alumna Bernadette sese recepit, quumque aliquot inibi transegisset annos petiit impetravitque, ut earumdem Sororum evaderet sodalis. Quocirca ad domum Congregationis principem, quae in Nivernensi exstat civitate, se contulit, ibique, post praeviam peractam probationem, sua nuncupavit vota, Bernadette dimisso et Sororis Mariae Bernardae assumpto nomine; cunctisque interea, quae novi status propria erant, naviter sancteque perfungens muneribus officiisque, sodalibus suis Nivernensibus sororibus exemplo fuit, ipsarum contubernio usa tredecim per annos, quod eiusdem sororis Mariae Bernardae reliquum fuit vitae spatium.

Quibus sane ex omnibus, foecundo tamquam inclusa semine, necessaria prodeunt elementa, quorum ope binis, dicendi initio, propositis quaestionibus apta atque idonea paratur et conficitur responsio. Quandoquidem iuge et constans emergit studium, quo soror Maria Bernarda ad perfecte agendum movebatur assidue; nec non praeclara eiusdem innotescit victoria, quam, Dei gratia adiuta, de semetipsa retulit, sive cum, ob tantam, in quam venerat, nominis celebritatem, a vanagloria se immunem servare valde sollicita cura advigilavit; sive cum, quam nascendo contraxerat, propriam montanam indolem compescere et emollire alacri erectoque animo adnisa fuit; religiosam proinde amplexa et professa est vitam, in eaque tot de in diem fecit progressiones, ut adepta sibi esse dicenda sit meritum et laudem heroicae virtutis. Quod si non statim id illa fuerit assecuta ita nempe, ut in ea, quam arripuerat, perfectionis semita, nonnullae quandoque apparuerint imperfectiones seu defectus, non ideo tamen, qua est opus, amplius non suppeteret necessaria et optata demonstratio, quemadmodum perapte in rem cadit satis nota et pervulgata sancti Gregorii Magni sententia haec: « Cum mentem a vitae corruptibilis « amore divertimus, *quasi quibusdam cordis passibus*, ad interiora prope-

« ramus. Nemo autem, infirma deserens, *repente* fit summus; quia ad ob-« tinendum perfectionis meritum, dum mens quotidie in altum ducitur, ad « hoc procul dubio, veluti ascensionibus quibusdam, *gradibus* pervenitur » (*Moral.*, lib. XXII, cap. 19, n. 45).

Itaque, probatissimis adhibitis normis, planam et expeditam se praebuit lectissimae Causae huius diiudicatio; deque felici faustoque exitu si iure merito dioeceses laetantur *Nivernensis*, in qua soror Maria Bernarda postremam aetatis suae exegit partem sacraeque ipsius custodiuntur exuviae, et *Tarbiensis* et *Lourdensis*, ubi illius exstat natale solum, et infantiam, pueritiam primamque ad vigesimum secundum annum adolescentiam traduxit, hisce tamen angustis limitibus se cohiberi Causa non patitur, sed, eosdem praetergrediens, ad universum se porrigit catholicum orbem. Cuncti enim christifideles, ubicumque Beatae Mariae Virginis Immaculatae *de Lourdes* cultus atque devotio vigent et florescunt, non modico perfusi erunt gaudio, cum ad eos perlatum erit nuntium hodierni Apostolici Decreti, quod initae, abhinc biennium, quaestioni super virtutibus heroicis sororis Mariae Bernardae finem imponit. Duabus siquidem, antepraeparatoriae et praeparatoriae, quae praehabitae fuerant, Congregationibus, generalis successit Congregatio, quae, die septima superioris mensis augusti, coram Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI coacta fuit. In qua a Reverendissimo Cardinali Antonio Vico, sacrae rituum Congregationi Praefecto, loco et vice Reverendissimi Ponentis cl. me. Nicolai Cardinalis Marini, paucos ante dies universae carnis iam viam ingressi, sequens ad discutiendum propositum est Dubium: ***An constet de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis venerabilis Servae Dei sororis Mariae Bernardae Soubirous, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?*** Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores suas quisque ex ordine aperuerunt sententias; quibus tamen intento laetoque animo exceptis et perpensis, Sanctissimus Dominus noster supremum Sibi reservavit proferre iudicium cunctosque qui aderant est adhortatus, ut fervidas interea Secum funderent preces ad caeleste lumen implorandum. Quumque mentem Suam postmodum patefacere statuisset, hodiernam designavit diem Dominicam XXVI post Pentecosten; eapropter, Sacris devotissime operatus, ad Vaticanas Aedes arcessiri iussit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, causaeque Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario; eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: ***Constare de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Caritate in Deum et***

proximum, nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis venerabilis Servae Dei sororis Mariae Bernardae Soubirous, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur.

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in acta sacrae rituum Congregationis referri mandavit decimo nono calendas decembres anno MDCCCCXXIII.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

I

UNIVERSITAS CATHOLICA IN CIVITATE NOVIOMAGENSI INSTITUTA CONFIRMATUR ET FACULTAS THEOLOGICA IN EADEM CANONICE ERIGITUR.

DECRETUM

Archiepiscopus et Episcopi provinciae ecclesiasticae Ultraiectensis, ut suis nec non cleri fideliumque Neerlandiensium votis obsecundarent, enixe a Sancta Sede Apostolica efflagitarunt ut Universitatem Catholicam in civitate Noviomagensi a Societate Sancti Radbodi excitatam et tribus constantem facultatibus, nempe theologica, philosophico–litteraria et iuridica, suprema Sua auctoritate probaret ac firmaret. Simul et illud ab Ea postulaverunt, ut praedictam Theologicam Facultatem, tribus coalescentem sectionibus, nempe dogmatico–historica, scripturistica et morali, canonice erigeret, facto eidem privilegio gradus academicos conferendi tironibus, qui, ordinario philosophiae ac theologiae in suis Seminariis confecto curriculo ad normam can. 1365, per triennium sacris disciplinis, tum iis, quae cunctis communes esse debent, tum iis, quae cuiusque sectionis propriae sunt, sedulo incubuerint ac statuta pericula feliciter absolverint. – Quamobrem, in plenario conventu, habito die XIX mensis iunii, Emi Sacrae huius Congregationis Patres Cardinales nobilissimum Episcoporum Neerlandiensium consilium, omnigenas inter difficultates ad exitum deductum, meritis prosecuti sunt laudibus, censueruntque Universitatem Catholicam in civitate Noviomagensi, a Societate Sancti Rad-

bodi excitatam, probandam et confirmandam. Simul in id convenerunt ut Facultas Theologica in eadem Universitate canonice erigeretur, cum privilegio gradus academicos in Sacra Theologia conferendi, ea lege ut duobus prioribus annis disciplinae in facultate tradendae sint omnibus alumnis communes, tertio vero anno sint ipsorum propriae, qui uni vel alteri ex tribus sectionibus sunt adscripti. – Die insequenti, Ssmus D. N. Pius PP. XI, referente infrascripto Emo Sacrae huius Congregationis Praefecto, hanc Emorum Patrum sententiam ratam habuit et confirmavit et ad effectum adduci iussit, confidens fore ut Universitas Catholica, pastorali sollicitudini et solerti vigilantiae Episcoporum Neerlandiae concredita, fructus edat uberrimos, ac suo erga Sedem Apostolicam obsequio et catholicae veritatis studio, inter ceteras, floreat et emineat. – Itaque Sacra haec Congregatio, mandato et auctoritate Ssmi D. N. Papae, Universitatem Catholicam in civitate Noviomagensi institutam, et tribus interea facultatibus constantem, probat et confirmat, ac Facultatem Theologicam in eadem Universitate canonice erigit et erectam declarat, cum privilegio gradus academicos in sacra Theologia tironibus conferendi, qui praelectionibus in eadem habitis interfuerint, iis servatis conditionibus, de quibus supra, aliisque de iure servandis.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, die XXIX mensis iunii, in festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCXXIII.

CAIETANUS CARD. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Iacobus Sinibaldi, Episc. Tiberien., *Secretarius.*

II

APPROBATIONES

Decretis Sacrae Congregationis de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, Ssmus Dominus Noster:

10 aprilis 1920. — Constitutiones Catholicae Universitatis Insulensis, ad normam Codicis revisas, ***definitive approbavit.***

10 novembris 1921. — Statuta Pontificiae Facultatis Theologicae Senensis, ***ad decennium approbavit.***

13 martii 1922. — Statuta Collegii Theologici Placentini, ***ad decennium approbavit.***

18 aprilis 1923. — Statuta Facultatis Iuris Canonici apud Maius Seminarium Mediolanense ad normam Codicis retractata, ***definitive approbavit.***

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Lunedì 19 novembre la Santità di Nostro Signore ha ricevuto in Udienza solenne, assistendovi il Sacro Collegio degli E.mi e R.mi Signori Cardinali, le Loro Maestà Cattoliche il Re ALFONSO e la Regina VITTORIA EUGENIA di Spagna.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 13 novembre 1923, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Rmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

1. Introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Serva di Dio Maria Carlotta de Lamourous, Fondatrice dell'Istituto delle Suore della Misericordia;

2. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio proprio con la Messa e dell'elogio da inserirsi nell'appendice del Martirologio Romano, in onore del Beato Roberto Card. Bellarmino, Confessore;

3. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio proprio con la Messa e dell'elogio da inserirsi nell'appendice del Martirologio Romano, in onore del Beato Michele Garicoïts, Confessore e Fondatore della Congregazione dei Sacerdoti del Sacro Cuore, detti *de Bétharram*.

Martedì, 20 novembre 1923, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Vico, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Ven. Vincenzo Maria Strambi, della Congregazione dei Chierici Regolari della Ssma Croce e Passione di N. S. G. C., Vescovo di Macerata e Tolentino, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria*, per discutere il dubbio sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione del medesimo Venerabile, i quali vengono proposti per la sua beatificazione.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

9 ottobre 1923. Monsig. Giuseppe Pizzardo, Sostituto della Segreteria di Stato di Sua Santità, *Assistente Ecclesiastico della Giunta Centrale dell'Azione Cattolica Italiana.*

16 » » Prof. Pericle Perali, *Archivista dell'Archivio Segreto della Santa Sede.*

26 » » Monsig. Enrico Dante, *Sostituto Aggiunto della Sacra Congregazione dei Riti.*

20 novembre » Il Rmo P. Alfonso Langlois, O. P., *Consultore della Sacra Congregazione Concistoriale.*

25 » » Monsig. Domenico Spolverini, *Canonista della Sacra Penitenzieria.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Assistenti al Soglio Pontificio:

20 ottobre 1923. Monsig. Giuseppe Gregorio Marčelić, Vescovo di Ragusa.

4 novembre » Monsig. Paolo Perini, Vescovo di Calicut.

8 » » Monsig. Giacomo de Hauck, Arcivescovo di Bamberga.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

11 settembre 1923. Monsig. Giorgio Corbet, della diocesi di Alexandria sull'Ontario.

29 ottobre » Monsig. Lazaro Pepe, della diocesi di Gallipoli.

9 novembre » Monsig. Ludovico Budanovic, dell'archidiocesi di Calocsa e Bacsa.

» » » Monsig. Giacomo Black, dell'archidiocesi di Oregon.

Prelati domestici di S. S.:

13 ottobre 1923. Monsig. Bernardo Dörholt, della diocesi di Münster.

» » » Monsig. Francesco Diekamp, della medesima diocesi.

13 ottobre 1923. Monsig. Bernardo Dinkgrafe, della diocesi di Osnabrück.
24 » » Monsig. Giacomo Rancaus, della diocesi di Riga.
» » » Monsig. Francesco Trasun, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Daniele Jasinski, della medesima diocesi.
29 « » Monsig. Carlo Jordán, della diocesi di Szathmar.
» » » Monsig. Roberto Hámon, della medesima diocesi.
7 novembre 1923 Monsig. Simone Ponganis, della diocesi di Grand-Rapids.
8 » » Monsig. Giuseppe Bezdán, della diocesi di Csanad.
10 » » Monsig. Giovanni Kureczko, della diocesi di Lublino.
14 » » Monsig. Stefano Pál, della diocesi di Transilvania.
» » » Monsig. Ludovico Kovács, della medesima diocesi.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine Pïano:

20 novembre 1923. Al sig. Don Michele Primo de Rivera y Orbaneja, marchese di Estella.
» » » Al sig. Don Andrea Avelino Salabert y Arteaga, marchese della Torrecilla.
» » » A S. E. il sig. Don Luigi Valera y Delavat, marchese di Villasinda, Ambasciatore di Spagna presso la Santa Sede.
24 » » A S. E. il sig. Carlo Jonnart, già Ambasciatore di Francia presso la Santa Sede.

La Commenda dell'Ordine Pïano:

10 novembre 1923. Al sig. comm. dott. Nicola Pietro van Spanje, della diocesi di Harlem.

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

9 novembre 1923. Al sig. dott. Guglielmo Hess, dell'archidiocesi di Bamberga.

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

30 ottobre 1923. Al sig. cav. Augusto Prenat, dell'archidiocesi di Lione.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

16 maggio 1923. Al sig. Luciano Carlier, della diocesi di Arras.
25 » » Al sig. Augusto Schmitz, di Malmö (Svezia).

6 settembre 1923. Al sig. dott. Giovanni Kaminsky, della diocesi di Szathmar.
11 ottobre » Al sig. ing. Pietro Grassi, della diocesi di Acireale.
17 » » Al sig. Antonio Sant, del Vicariato Apostolico d'Egitto.
20 » » Al sig. Francesco van Ogtrop, della diocesi di Harlem.
28 » » Al sig. Severino Rohn, della diocesi di Szathmar.
30 » » Al sig. Felice Giuseppe Schürmann, della diocesi di Munster.
» » » Al sig. Rodolfo Liffers, della medesima diocesi.
6 novembre » Al sig. barone Giovanni de Jerphanion, dell'archidiocesi di Lione.
» » » Al sig. Ernesto Pariset, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giuseppe Leflaive, della medesima archidiocesi.
9 » » Al sig. avv. Enrico Camaschella, della diocesi di Novara.
10 » » Al sig. Gabriele Turcat, della diocesi di Versailles.
12 » » Al sig. avv. Lamberto Vignoli, della diocesi di Poggio Mirteto.
15 » » Al sig. Cornelio van Gils, della diocesi di Breda.
17 » » Al sig. Alfonso Arnoldts, della diocesi di Ruremonda.
» » » Al sig. Enrico Delhougne, della medesima diocesi.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

15 settembre 1923. Al sig. Emilio Lazzaro, della diocesi di Macerata.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

24 ottobre 1923. Monsig. Giuseppe Jóna, della diocesi di Szatmar.
» » » Monsig. Paolo Zohoray, della medesima diocesi.
29 » » Monsig. Luigi D'Indico, dell'archidiocesi di Firenze.
» » » Monsig. Antonio Kovács, della diocesi di Cinque Chiese.
» » » Monsig. Carlo Hradek, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Mattia Rudolf, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Corrado Gröber, dell'archidiocesi di Friburgo.
» » » Monsig. Giuseppe Ries, della medesima archidiocesi.
31 » » Monsig. Giuseppe Mazzoli, della diocesi di Fabriano.
3 novembre » Monsig. Filippo Bonacci, dell'archidiocesi di Chieti.
5 » » Monsig. Giuseppe Gonnelli, della diocesi di Colle Val d'Elsa.

6 novembre 1923. Monsig. Lucio Leccisi, della diocesi di Lecce.
» » » Monsig. Giuseppe Sester, dell'archidiocesi di Friburgo.
7 » » Monsig. Giuseppe Ragni, della diocesi di Alessandria.
9 » » Monsig. Francesco Bramski, della diocesi di Lublino.
» » » Monsig. Melchiorre Juscinski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Antonio Szymanski, della medesima diocesi.
12 » » Monsig. Stanislao Trzeciak, dell'archidiocesi di Varsavia.
13 » » Monsig. Paolo Styger, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Antonio Kwiatkowski, della medesima archidiocesi.
14 » » Monsig. Emilio Maria Pallavicino, della diocesi di Parma.
» » » Monsig. Giorgio Thomann, dell'archidiocesi di Bamberga.
» » » Monsig. Agostino Orgeldinger, della medesima archidiocesi.
15 » » Monsig. Ludovico Campi, della diocesi di Ferrara.
16 » » Monsig. Michele Ermanno Gunther (Christiania).
» » » Monsig. Ferdinando Hüllen, della dioc. di Treviri (Germania).
17 » » Monsig. Pietro Wiegand, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Agostino Volosyn, della diocesi di Munkacevo.
» » » Monsig. Giulio Hadzsega, della medesima diocesi.
21 » » Monsig. Antonio Suracki, della diocesi di Podlachia.
» » » Monsig. Ludovico Romanowski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Michele Reppucci, della diocesi di Avellino.
26 » » Monsig. Ignazio da Loyola Soka, del Banato S. H. S. di Veliki Bečkerek.
» » » Monsig. Francesco Engel, del Banato S. H. S. Veliki Bečkerek.
» » » Monsig. Guglielmo Ormond, della diocesi di Auckland.

Cameriere Segreto di Spada e Cappa di numero di S. S.:

26 ottobre 1923. Il sig. conte Antonio Cagiano de Azevedo (Roma).

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

16 ottobre 1923. Il sig. conte Tommaso Garagnani, dell'archidioc. di Bologna.
29 » » Il sig. conte Giuseppe Ignazio Cavero y Alcibar, dell'archidiocesi di Saragozza.
6 novembre » Il sig. conte Ludovico Fischler de Treuberg, della diocesi di Augsburg.
17 » » Il sig. barone Enrico de Bideran de Béraud, della diocesi di Montauban.
24 » » Il sig. Andrea P. Maloney, dell'archidiocesi di Filadelfia.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

26 ottobre 1923. Monsig. Pio Berni, della diocesi di Sansepolcro.
6 novembre » Monsig. Riccardo Schaefer, della diocesi di Spira.

6 novembre 1923. Monsig. Valentino Schneikert, della medesima diocesi.
8 » » Monsig. Felice Basile, della diocesi di Nola.
12 » » Monsig. Carlo Korsak, dell'archidiocesi di Varsavia.
12 « « Monsig. Antonio Czarkowski, della diocesi di Sandomir.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerarii di S. S.:

7 novembre 1923. Il sig. comm. Gaetano Bianchi, della diocesi di Verona.
24 » » Il sig. Pietro Dahll (Norvegia).

Cappellani segreti d'onore di S. S.:

29 ottobre 1923. Monsig. Giovanni Trinn, della diocesi di Cinque Chiese.
» » » Monsig. Adalberto Jakab, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giulio Lajos, della medesima diocesi.
10 novembre » Monsig. Leopoldo Langmár, della diocesi di Vesprimia.

Cappellani d'onore extra Urbem *di S. S.:*

12 novembre 1923. Monsig. Mecislao Lewicki, dell'archidiocesi di Varsavia.
13 » » Monsig. Giovanni Badilla, della diocesi di Transilvania.
» » » Monsig. Andrea Kovács, della medesima diocesi.
26 » » Monsig. Angelo Viacava, della diocesi di Chiavari.

NECROLOGIO

20 marzo 1923. Monsig. Giuseppe Bilczewski, Arcivescovo di Leopoli.
10 novembre » Monsig. Alfonso M. Andreoli, Vescovo di Recanati e Loreto.
24 » » Monsig. Guglielmo de Batthyány, Arcivescovo tit. di Cirro.
25 » » Monsig. Giosuè Signori, Arcivescovo di Genova.

MONITUM - AVVISO - AVIS - NOTICE - ANZEIGE

MONITUM. - *Propter auctas transmissionis seu vecturae expensas, pretium subnotationis huic Commentario Officiali,* Acta Apostolicae Sedis, *ab ineunte anno 1924 persolvendum erit ut sequitur:*

Intra fines Italiae . . . . . lib. ital. 18 —
Extra Italiam . . . . . frs. gall. 24 —

AVVISO. - *In conseguenza degli aumenti delle tariffe postali, il prezzo di abbonamento agli* Acta Apostolicae Sedis, *Bollettino ufficiale della Santa Sede, a cominciare dal prossimo anno 1924, viene così modificato:*

Per l'Italia . . . . . L. it. 18 —
Per l'Estero . . . . . *Frs.* 24 —

AVIS. - *Les tarifs postaux étant augmentés, le prix d'abonnement aux* Acta Apostolicae Sedis, *Bulletin Officiel du Saint-Siège, à partir de l'année prochaine 1924, a dû être fixé comme il suit:*

Pour l'Italie . . . . . L. it. 18 —
Pour l'étranger . . . . . *Frs.* 24 —

NOTICE. - *Owing to the increase in postal rates, the subscription to the* Acta Apostolicae Sedis, *Official Bulletin of the Holy See, will be, from the beginning of next year 1924, as follows:*

For Italy . . . . . L. it. 18 —
Outside Italy . . . . . *Frs.* 24 —

ANZEIGE. - *Infolge der Erhebung des Posttarifes, ist der Preis für die* Acta Apostolicae Sedis *vom Beginn des Jahres 1924, wie folgt, festgesetzt:*

Für Italien . . . . . L. it. 18 —
Für das Ausland . . . . . franz. francs 24 —